Cim
6201-
6203

ACTA
DISPVTATIONIS
HABITÆ TRAIECTI, INTER
Anonymum quendam Franciſcanum, qui
Louanio eum in finem venerat,

ET

Miniſtros Traiectenſes.

Dicata Clero Eccleſiæ Romanæ, qui
eſt Trajecti.

Præfatio ad Canonicos, Monachos, Mendicantes, alioſque Eccleſiæ Romanæ Myſtas, qui ſunt Traiecti.



HAGÆ-COMITVM,

Apud *Arnoldum Meuris*, Bibliopolam ad inſigne
Bibliorum, *Anno Domini* 1633.

ACTA DISPVTATIONIS

HABITÆ TRAIECTI AD MOSAM,

Inter Anonymum quendam Franciſcanum, qui Louanio eum in finem venerat,

ET

Miniſtros Traiectenſes ad Moſam.

Dicata Clero Eccleſiæ Romanæ, qui eſt Trajecti.

Præfatio ad Canonicos, Monachos, Mendicantes, alioſque Eccleſiæ Romanæ Myſtas, qui ſunt Traiecti.

CAligant noctuarum oculi ad Solis lucem: Tenebrionum vero & Scripturæ Lucifugarum animi ad Veritatis radios quos nec ferre poſſunt nec admittere volunt. Id nunc Euangelicæ veritatis præcones, vobis permixti ſatis experimur: Cœleſte illud lumen cui deferendo diuinitùs ſumus euocati, veſtri populares, intolerandam Babylonis captiuitatem, ſub qua diu gemuerunt, exoſi, mira cum alacritate excipiunt: Vos vero arbitrantes tantum compendijs veſtris decedere, quantum videtis majorem fidelium numerum noſtris cœtibus indies accedere, nihil relinquitis intentatum quod poſſit verbi diuini impetum

sufflaminare & Ministerio nostro sub Numinis auspicijs tam prospere procedenti remoram inijcere: Nempe non tam de aris vestris quam de focis estis solliciti, nec aliorum salus vobis curæ est, sed vestrum emolumentum: Videtis enim veritatis progressu esuriem vobis parari, & præsertim qui inter vos Pigritiæ & Otio affectatâ mendicitate litare malunt, quam honesto labore de victu & amictu sibi prospicere animum despondent, & culinæ suæ ruinam vix impederi posse autumant si reformationis negotium eo quo cepit pede porro ire pergat: Si enim & ciuitas & pagi Gueusijs (quos proterue appellatis) repleantur, de Mendicis actum est: Cœnobium Peræ redibit, non vt antehac solebat grauis & distenta sed inanis & vacua, nihil quæ superesit non Apostolicis (vt credulæ Plebi persuadere hactenus voluerunt) sed Diogenianis potius hisce viris præter baculum & restim.

Hinc illæ lachrymæ: hinc illi feruidi conatus quibus Idolum labascens sustentare annitimini: hinc sedula disquisitio omnium Pharmacorum quibus posset Bestiæ nuper inflictum hoc vulnus obducta cicatrice sanari, & Romana Iezabel in his oris lethaliter decumbens pristinæ suæ valetudini restitui: hinc Tribunitiæ illæ declamationes & Philippicæ invectiuæ quibus soletis in doctrinam nostram inuehi, interdum etiam & personas nostras conuicijs proscindere, aut calumnijs apud vestros auditores diffamare, hinc denique Thrasonica illa schemata quibus nos & priuatim & publice ad certamen prouocatis sed a nobis acceptatâ conditione aut moras nectitis, aut vadimonium turpiter deseritis, aut falsos rumores de euentu spargitis, quia nempe vt homogenea homogeneis, sic mendacia mendacijs suffulcire par est.

Ita vestras ille Augustinianus nomine Burbat, cui

popello

popello os sublinire & agyrticis concionibus imponere mos est, nos de suggestu ad certamen inuitauerat, & plenis buccis in Reformatam Religionem debacchatus fuerat: Scribimus ad ipsum, oblatum certamen acceptamus, & publicæ disputationis locum & diem ab ipso assignari expetimus: Simulat conditiones sibi non displicere modo intercedat eorum authoritas quorum interest: Obtinemus a Nobilissimo viro D. de Golstain Ciuitatis propræfecto, penes quem summa rerum est per Illustrissimi Præfecti absentiam Libertatem conveniendi, & ipsius nomine omnem Monacho securitatem spondemus; diem dicimus; Locum deligimus: Sed Cucullato suffecerat populo illusisse: Ordinarij enim licentiam id est Episcopi Leodiensis, & Provincialis sui cœterorumque superiorum consensum ad disputationem publicam prærequiri asseruit, atque sic arenam ad quam nos proterue euocauerat ignominiose deseruit: neque tamen jactabundis concionibus, sic effrontes estis, *hilo* minus postea abstinuit.

Et quid cemus de Minorita illo concionatore quocum velitatio quædam intercesserat Pastori Gallicanæ Ecclesiæ in Franciscanorum cœnobio? Franciscani mulierculartum quarundam quæ ad S. Hilarij Templum habitationem habebant (quibuscum satis arcta nec forte satis honesta, si famæ loquaci fides, necessitudo his monachis erat) causam tutabantur, atque vt illic propter viciniæ commodum permanerent apud Illustrissi. Præfectum obtinere annitebantur: hinc cum illis prima loquendi occasio Pastori Gallo in ædibus Illustriss. Præfecti: & prout sermo de sermone nascitur, de Bibliothecæ quam eorum asseruat cœnobium a Pastore interrogati non modo eam splendidissimam esse asseruerunt, sed ejus

inuiſendæ copiam ipſi fore vbi libuerit ſatis humaniter dixerunt. Illum ergo Bibliothecam eam luſtrandi quam tanti fecerant ingens inceſſerat deſiderium, & augebat cupidinem addebatque ſtimulum Nobilium Domeſticorum Illuſtriſſ. Præfecti votum qui indies ipſi Bibliothecæ iſtius viſitandæ memoriam refricabant: Venerunt tandem ad eum Palatij Magiſter & alij duo Nobiles ex eadem familia qui ipſum non reluctantem ad Franciſcanorum cænobium deduxerunt: Venit janitor homo vafer & verſipellis, Mercurio quam Muſis addictior qui cupientes per templum ingredi in delubrum admittere noluit niſi renudato capite puppam illam ad B. Virginis effigiem ſi deo placet efformatam (ſatis ſane pro imperio) ſalutarent: quo recuſato neque tamen viſendæ Bibliothecæ deſiderio depoſito relicto templo, aliâ januâ in cœnobium intromiſſi fuerunt. Aberat Cœnobiarcha qui Guardianus vulgò dicitur: ipſius Vicarium janitor adit, monet eos illic eſſe, atque Bibliothecam inuiſendi gratiam efflagitare. Negat ſibi licere Vicarius, cui præ omnibus id a ſuperiori ſuo exeunte fuerit prohibitum. Abiturientes ideo & de turpi repulſa conquerentes, idem Ianitor qui prior Paſtori id obtulerat in ædibus Illuſtriſſ. Præfecti, enixè precatur vt vellent per hortum obambulare donec rediret Guardianus, quod breui futurum ſponderat: annuunt: ſed Guardiano tardante (genio tum indulgebat cum Monialibus) iterũ canunt receptui. Tum ægrè tandem conceſſit illis Vicarius hanc facultatem; Bibliothecam conſcendunt, libroſque viſitant quos & precio nullos, & numero paucos deprehendunt, raroſque nantes in gurgite vaſto.

Huic contemplationi intentis ſupervenit quidam Monachus quem Concionatorem eſſe cœnobij Ianitor dicebat,

dicebat. Paſtor eo momento manibus ſuis terebat Maſium in Ioſuam quem & bonum authorem & virum doctum fuiſſe dixit ad Monachum, qui non minus inepte quam inſipide regeſſit omnes illos quos haberent libros æque bonos eſſe, cui reſponſum multos ſcripturiendi prurigine laborare, & Carmina ſcribere doctos paſſim atque indoctos. Inde Paſtor incidit in tomum alterum Bibliorum M. S. C. vulgatæ editionis cui præfixa erat præfatio Hieronymi in libros Salomonis qua nominatim de librorum Canonicorum Catalogo expunguntur Sapientia & Eccleſiaſticus Syracidis: tum Paſtor intento ad locum digito quaſi per tranſennam Monacho ſignificauit non eſſe Eccleſiam Romanam ejuſdem fidei cum Hieronymo quippe quæ hos libros tanquam diuinos & Canonicos ſuſpiciat & veneretur.

Hinc prima rerum Theologicarum inter ipſos materia cui cum velitantes inſiſtunt tranſeuntes de genere in genus prout Monachus in Reformatorum doctrina plane rudis & inſuper *Aphiloſophos* Sacerdotes ſaliarios imitatus aut Protheum referens hinc inde euagabatur, ecce aduenientem Guardianum vino & ira intumeſcentem qui inſolenter admodum omnem diſputationem ſuis prohibuit & Reformatos quibus ſilentium eadem via imponebatur cœnobio extruſit.

Quot abſurda bono illi concionatori Minoritæ exciderint piget referre: ita negauit Chriſtum nunc eſſe ejuſmodi caput Eccleſiæ quod poſſit influere: ita aſſeruit Calvinum omnē viſibilitatem Eccleſię pernegare, atq; id probaturus ex Calvini libris Stapletoni promptuarium Catholicum protulit; ita dixit in mutatione aquæ in vinum priorem materiam non remanſiſſe; Sexcenta ejuſmodi poſſent referri,

referri, si illas sordes retractare non puderet. Quid tamen inde effectum? Rumor sparsas a Monachis Pastorem obmutuisse,

Diriguere Comæ & vox faucibus hæsit:

Atque realem præsentiam vti vocant Corporis Christi in Eucharistiâ agnovisse, eo quod dixerit panem Eucharisticum esse verum Christi corpus, quod diffitentur Pontificij qui panem superesse negant, quamvis sententiam suã illustrauerit loco simuli Apostoli, *Petra erat Christus*, ad quem locum Monachus nihil potuit respondere.

Quia vero vanæ huic & Monachali jactantiæ honestus quidam Ciuis (qui ingredientes subsequutus fuerat, & disceptationi coram interfuerat) fortiter obsistebat, atque dicebat Monachum ad incitas fuisse redactum Pastoris Syllogismo quo demonstrabat *Ioh. 6.* non agi de manducatione Sacramentali sed de manducatione spirituali corporis Christi quod sit plane & simpliciter necessaria ad salutem adeo vt vitam æternam indubitatò per illam consequamur, vt reuera hunc nodum Gordium Monachus nunquam soluere potuit, ausus est Pastorem in ipsius ædeis adire, de Ciue queri quod talia in sui dedecus spargeret, rogare quid consilij vt famæ suæ aliquatenus consuleretur, cum certum esset nihil tum intereos fuisse decisum & potius velitatione quam manu conserta fuisse pugnatum.

Ad hæc Pastor, Ciuem forte id dixisse vt Pontificiorum jactantiam reprimeret; Dicendi fundamentum habuisse quod argumentum supra commemoratum non fuisset solutum: Tutius sibi non videri consilium quam vt publica habeatur Disputatio in qua idem argumentum resumatur & eadem quæstio plenius ventiletur & quasi ad vmbilicum deducatur: Visus est Monachus

acquievisse

acquieuisse adiecta promissione de impetrandâ Superiorũ suorum veniâ pro ejusmodi disputatione : Sed postridie vt nobis fuit relatum, consuetas fabulas populo occinuit, & Pastorem *Heautontimorumenon* asseruit. Nec spes vlla superest eum solemni, publica & legitima collatione conuincendi, quia semper certamen sit detrectaturus, obedientiæ Monasticæ aut prætextu, aut vi, quod inuitis Superioribus nihil tale debeat moliri.

Dum hæc geruntur venit Louanio Trajectum quidam Franciscanus, quem aiunt esse cœnobij Louaniensis Vicarium. Huic vadum tentandi nobiscum Provincia à suis fuit demandata vt qui honestius posset se de pugna subducere & abeundi prætextu aut commeatus finiti nomine collationem abrumpere quotiescunque Martem aduersum experiretur. Is ergo nos, nihil minus quam tale quid cogitantes, vltrò prouocauit, locum tamen publicæ disputationi idoneum non admisit sed delegit ædeis priuatas honestiss. cuiusdam Ciuis non ita pridem ad Reformatam Religionem conuersi; condicto tempore comparuit; Omnia scribi consensit; vt sacrificium Missæ excuteretur permisit : Æquum disputatorem & virum doctum nactos nos esse gaudebamus atque id multùm, si negotium procederet, conducturum Ciuium ædificationi sperabamus. Sed postquam sensit sibi rem non esse cum fungis prætextu abeundi, Disputationem abrupit, licet adhuc biduum integrum postea remanserit in Ciuitate. Acta vltrò citròque scripta, manu sua firmare noluit; Nomen suum denique, nobis indicare recusauit; quod indicio est virum haud immodestum nec ineruditum sibimet non satisfecisse in tota illa actione. In priori Sessione in qua opponentium partes sustinebamus vltimum nostrum argumentum

mansit indecisum, & Monachus spatium sibi concedi rogauit respondendi in crastinum. In posteriori in qua respondebamus, vltima nostra responsio mansit indiscussa & quod non amplius instaret, temporis defectu & abeundi necessitate excusauit: neque voluit quod saltem supererat diei nobis concedere ad examinandum locum *Lucæ cap.* 22. quo sacrificij Missatici institutionem contineri initio disputationis dixerat. Nunquid hæc omnia coram multis testibus peracta omnem ansam gloriandi vobis præripere debuerant? Cur ergo adhuc jactabundi quasi de re bene & fœliciter gesta gloriamini? Cur si non triumphi aurum, saltem ouationis laurum huic vestro athletæ decernitis? Cur in popinis, tonstrinis & lustris, imo nonnulli vestrum in suggestu quasi de victoria reportata, hæreticis debellatis, Missâ staturninata loquimini, vt plebeculam hac arte, (Marte enim & vi amplius non licet) in obsequio Ecclesiæ Romanæ contineatis? An probitati & simplicitati Christianæ hi doli, hæ technæ conueniunt?

Vestra ergo importunitas effecit, vt Acta illius disputationis vixdum effectæ nunc prodeant in publicum, & quamvis vester *Suzÿtÿs* noluerit illa subsignari, tamen bonam fidem in nobis nemo desiderabit: Habetis penes vos exemplar vestrum, videbitis nihil hic a nobis fuisse immutatum. Digna hæc non erant que lucem aspicerent; Sed illa extorserunt jactabundæ voces in quas erumpitis. Adiecimus Coronidis vice Appendicem de sacrificij propitiatorij natura, & examen loci illius in quo vester athleta Missatici sacrificij institutionem contineri asseruit. Ista omnia vobis dedicare consultum visum est vt vel hac ratione silentium vobis in posterum imponeremus, vel ad justas disputationis

non

non ſolum inchoandæ ſed perficiendæ leges adigeremus. Igitur aut tacete, & Pattalorinchytas veteres ac Pythagoræ diſcipulos ſequimini, & nullam vobis creantes moleſtiam ne vltrò amplius laceſſite, aut bona fide juxta veterem formulam, *Cum bonis benè agior* in arenam nobiſcum ſub his conditionibus deſcendite.

1.

Publicæ Diſputationi locus publicus deputetur.

2.

Idiomate intelligibili omnia peragantur.

3.

Ex Scripturis Canonicis Veteris & Noui Teſtamenti rationes & probationes deſumantur.

4.

Alternis vicibus partes diſputantes opponant & reſpondeant.

5. Syllogiſticè agatur ac Dialecticè reſpondeatur negando, concedendo, diſtinguendo adjecta breuiter ſi libuerit reſponſionis ratione.

6. Duo ſcribæ conſtituantur qui opponentium argumenta & reſpondentium ſolutiones & ſcripto conſignent & manibus ſuis firment.

7. Teneantur partes ſignare Diſputationis acta ad finem vnius cujuſque ſeſſionis ne varientur.

8. Deligantur duo Moderatores, alter Reformatæ alter Pontificiæ Religionis qui a legibus diſputationis aberrantes reuocent, ordini præſint, & in rebus facti ſi contentio oriatur, etiam pronuncient.

9. Iuxta has leges agatur de ſacrificio Miſſæ, Tranſubſtantiationis figmento, Communione ſub vnica ſpecie, Imaginum cultu, Invocatione ſanctorum, meritis

operum, Igne Purgatorio, Infallibilitate Papæ, Ciborum delectu, & ejusmodi capitibus propter quæ Reformati semper protestati sunt sibi non licere bona conscientiâ interesse sacris Ecclesiæ Romanæ, in tam multis Dei verbo id est scriprurae sacræ contrarijs.

ACTA

ACTA DISPVTATIONIS

HABITÆ TRAIECTI AD MOSAM, Inter Ministros Ecclesiæ Reformatæ & Franciscanum Louaniensem.

Sessio prima habita a meridie XIV. *Aprilis* 1633.

CONuentum vt syllogisticè agatur & proponatur Status quæstionis cui prosequendæ sic insistatur vt non fiat Transitio de genere in genus.

Precibus postea conceptis Franciscano delectum materiæ Ministris relinquente, proposita est quæstio de sacrificio Missæ hoc modo.

An in Missa offeratur sub speciebus panis & vini in sacrificium proprium, verum, propitiatorium pro viuis & defunctis Corpus Christi?

Et quia Affirmatiuam tuentur Pontificij, Reformati hoc primum proposuere argumentum.

Opp. Omne Sacrificium expiatorium continetur in Scripturis Canonicis, Atqui Sacrificium Missæ non continetur in Scripturis Canonicis. Ergo.

Resp. Negatur minor, & ratio negationis adfertur ex *Lucæ* 22. vbi sacrificauit Christus, & dat potestatem sacrificandi tale sacrificium.

Opp Quod Christus non fecit hîc, non jussit nos facere, atquæ Christus hic seipsum non sacrificauit. Ergo.

Si credidissimus disputationem tam cito dissolutũ iri ad generalia hæc non deuenissimus, sed maluissemus ipsâ causæ arce minuadere atq; locum ex Luc. 22. pro Missæ Sacrificio prolatum ad rectæ rationis trutinam perpendere.

Resp. Negatur minor ratione loci allegati.

Opp. Qui postridie tantum sacrificatus est in cruce pridie non est sacrificatus in cœna, sed Christus postridie tantum sacrificatus est in cruce. Ergo.

Resp. Duplex est Christi sacrificium, Vnum Cruentum in cruce alterum incruentum in cœna.

Opp. Incruentum sacrificium nullum datur. Ergo nulla distinctio.

Resp. Negatur antecedens ex eodem loco.

Opp. Si sine effusione sanguinis non datur remissio peccatorum non datur sacrificium propitiatorium incruentum; At verum prius, ex *Cap. 9. Epist. Heb.* Ergo & posterius.

Resp. Negatur consequentia majoris.

Opp. Vbicunque non est remissio peccatorum ibi non est sacrificium propitiatorium, at vbi non est effusio sanguinis ex Paulo ibi non est remissio peccatorũ. Ergo.

Resp. Vbi non est effusio sanguinis concomitanter saltem non est remissio peccatorum, concedo minorem, sed vbi non est formaliter nego. In Missâ verò est effusio sanguinis concomitanter quia vim accipit a formali factâ in cruce.

At Missam, & crucem vnicum esse sacrificium nõ duplex Statuunt pontificij.

Opp. Vbicunque non est formaliter effusio sanguinis ibi non est meritum remissionis peccatorum. At vbi non est meritum remissionis peccatorum ibi non est propitiatio. Ergo.

Resp. Negatur major.

Opp. Si sine effussione formali sanguinis juxta Paulũ hoc loco non fit remissio peccatorũ, tum vbicunq; non est formaliter effusio sanguinis ibi non est meritum remissionis peccatorum. At verum prius. Ergo & posterius.

Resp. Negatur consequentia majoris quia Paulus solum

ſolum requirit vnicam formalem effuſionem ſanguinis ad omnes Iuſtificationes.

Opp. Si Paulus vniuerſalem regulam ſtatuit de ſacrificijs propitiatorijs in illis requiri formalem effuſionem ſanguinis tum vera majoris conſequētia, at verum prius. Ergo & poſterius.

Reſp. Non requiritur in illis formalis effuſio ſed ſolum ad illa.

Opp. Si regula Pauli intelligenda ſit ex praxi Veteris Teſtamenti ex qua deſumpta eſt tum non ſolum ad ſacrificia propitiatoria ſed etiam in illis requiritur formalis effuſio ſanguinis, At verum prius. Ergo & poſterius.

Reſp. Dantur ſacrificia quædam ſub lege propitiatoria incruenta quorum exempla quia nunc Reſpondentis memoriæ non occurrunt ipſe daturus eſt in craſtinum.

Obſeruet Lector Franciſcanum ſibi non conſtare in his reſponſionibus.

Seſsio altera habita ſequenti die mane.

FRanciſcanus Probaturus dari ſub lege ſacrificia quædam propitiatoria incruenta ſic exorſus eſt.

Opp. Si Paulus loco citato dixit *omnia pene* mundari ſanguine, dixit dari quædam ſacrificia propriatoria abſq; ſanguine: At verum prius. Ergo & poſterius.

Reſp. Negatur Conſequentia majoris: Nam iuxta Paulum non omnia quidem mundabantur ſanguine, quædā enim purificabantur igne, ſed remiſſio peccatorum ſiue propitiatio pro peccatis nō fiebat abſque ſanguine & hæc duo ſic diſtinxit Apoſtolus, vt particula limitatiua ad poſterius quod eſt vniverſale non pertineat.

Monachus volebat confugere ad auiculas illus quæ viuæ dimittebantur in purificatione leproſi, ſed monitus exemplum non quadrare propoſito maluit nō abſque ignominia tempus deliberandi rogare.

Opp. Si reuera dabatur aliquod ſacrificium propitiatorium incruentū ſub veteri lege tum probabile eſt particulam *pene* apud Paulum eſſe etiam de ſacrificijs propitiatorijs intelligendam. At verum prius. Ergo & poſteritus.

Reſp.

Prælecta fuerunt verba Bellarmini in disputatione sed Franciscanus noluit illa scribi quod non authoritate sed ratione agendum diceret.

Resp. Ad majorem: quæritur inter nos non quid probabile, sed quid necessarium. Minor etiam falsa est & dum eam opponens vult probare sese opponit Bellarmino, Thomæ Chartusiano, alijsque Doctoribus è Pontificijs qui vno ore fatentur nullum extitisse sacrificium propitiatorium incruentum.

Opp. Si *Leuit. 5. v. 11.* extat sacrificium aliquod propitiatorium incruentum, tum vera Minor negata; At verum prius. Verba legis hæc sunt. *Quod si non quiuerit manus eius duos offere turtures, aut duos pullos columbarum offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam, &c*

Resp. Negatur minor.

Opp. Vbi est oblatio rei sensibilis propitiatoria sine sanguine, ibi est sacrificium incruentum propitiatorium, atqui hic est talis oblatio. Ergo.

Resp. Distinguendum est: Vbi est oblatio propitiatoria proprie dicta rei sensibilis sine sanguine ibi est sacrificium propitiatorium incruentum: At hîc est oblatio propitiatoria improprie tantum dicta, quia est exceptio & dispensatio a lege propter causam specialem in casu necessitatis.

Opp. Sacrificium est proprie propitiatorium, cui conveniunt perfecte essentialia talis sacrificij. At essentialia propriè dicti sacrificij propitiatorij huic sacrificio conveniunt. Ergo.

Resp. Negatur minor.

Opp. Oblatio rei sensibilis, cum agnitione summi Dominij & reali immutatione pro peccatis sunt essentialia sacrificij propitiatorij. Atqui illa essentialia conveniunt huic sacrificio. Ergo.

Resp. Non est sufficiens enumeratio partium, quia requiritur

requiritur insuper in omni sacrificio propitiatorio Veteris legis effusio sanguinis juxta ipsum Paulum, nam omnia sacrificia propitiatoria veteris legis fuere typi & figuræ vnici sacrificij Christi quod non potuit peragi absque effusione sanguinis, adeòque debuerunt figuræ figurato conuenire.

Opp. Probatur effusionem sanguinis non esse de essentia, quia non potest dari ratio fundamentalis, quam conuinco per hanc instantiam. Expiatum est de facto peccatum aliquod sine effusione sanguinis; Talis expiatio fuit integrum sacrificium propitiatorium, Ergo habet omnes suas partes.

Hîc incepit Franciscanus titubare adeò vt sæpius in formãdis & reformandis argumẽtis suis valdè perplexus fuerit.

Resp. Miri istius argumenti negatur minor.

Opp. Ista oblatio turturum facta per ditiores fuit vera propitiatio, Ergo etiam verum sacrificium expiatorium factum a pauperibus, quia Dominus vtrumque ordinauit pro eodem peccato.

Resp. Negatur consequentia.

Opp. Dominus ordinauit vtrumque remedium pro eodem peccato. Ergo vtrumq; est æquè propitiatorium.

Resp. Negatur iterum Consequentia.

Opp. Si vtrobique est expiatio, vtrobique est etiam expiatorium sacrificium : At verum prius. Ergo & posterius.

Resp. Negatur major & minor. Major quia, tum, in Pœnitentiâ, tum in Missa juxta Pontificios est expiatio peccati, vtrobique tamen non est sacrificium propitiatorium pro peccato. Minor quoque negatur, quia hic non est vtrobique æqua expiatio, nam in priore est expiatio juxta rigorem legis, in posteriore vero juxta remissionem & dispensationem legislatoris in casu necessitatis.

Opp. Vbicunque Deus ordinauit duas propitiationes

C ibi

ibi est duplex propitiatorium pro peccato, Hîc autem ordinauit Deus duas propitiationes, Ergo hîc est duplex propitiatorium pro eodem peccato.

Resp. Non probatur intentum. Quia major negata non reperitur in conclusione: Sed probet Minorem negatam opponens si majorem non potest.

Hîc iterũ volebant minorem antea negatam probare quod postea nunquam poterat.

Opp. Omnis propitiatio a Deo ordinata pro peccato est sacrificium propitiatorium propriè dictum. Sed hîc sunt duæ propitiationes a Deo ordinatæ, Ergo sunt æquè propitiationes duæ pro peccatis & per consequens vbicunque sunt duæ propitiationes illic sunt etiam duo sacrificia propitiatoria.

Resp. 1. Plus est in Conclusione quam in præmissis. 2. Non magis probatur intentum quam superiori prosyllogismo, 3. Major jam sæpissime est negata.

Opp. *Ad Minorem.* Si illa ratio est bona etiam sequetur secundam oblationem non esse proprie propitiatoriam. Falsum antecedens. Ergo & consequens.

Resp. Probetur consequentia majoris.

Opp. Secunda non satisfacit etiam rigori legis.

Resp. Negatur.

Opp. Si secunda succedit in locum primę, sicuti tertia in locum secundæ, tum secunda non satisfaciet rigori legis, verum prius. Ergo & posterius.

Resp. Negatur consequentia majoris.

Opp. Si tertium hoc sacrificium sit impropriè propitiatorium quia non satisfacit rigori legis, sed est remissio legislatoris, tum secundum erit improprium propter eandem, Atqui verum prius ex vobis. Ergo & posterius.

Resp. Est idem argumentum & crambe recocta.

Opp. In secunda est remissio legislatoris, At vbicunq; est

est remissio legislatoris non est rigor legis, Ergo in secunda non est rigor legis.

Resp. Distinguendũ est de rigore legis. Nam lex potest esse vel vniversalis vel particularis. In secunda illa oblatione fit remissio a rigore legis particularis latæ circa sacrificia hujus peccati, sed nõ fit vt in tertia remissio, rigore legis vniuersalis quæ exigit in omni sacrificio propitiatorio effusionem sanguinis; adeoq; propter illam remissionem secunda illa oblatio non desiit esse verè propitiatoria. Exemplo vim illustramus. Iuxta rigorem legis, Anima quæ peccauit morietur; Remissio facta est de illa lege cùm Christus substitutus est in locum peccatorum, nihilominus satisfactũ est rigori legis alterius magis vniuersalis, quæ exigit aliquam propitiationem pro peccato. Hac nostra vltimâ responsione audita noluit amplius Monachus disputare, imò agnoscens palam nos accuratè & Methodice semper respondisse quò honestiùs se de hoc certamine subduceret dixit, posse se adhuc alias instantias contra hanc nostram solutionem proponere præsertim circa naturam sacrificij propitiatorij, sed abeundi necessitate coactum illis consultò abstinere. Rogatus vt actis vtrinque scripsis subsignaret, aut saltem nomen suum nobis ediceret, & quod supererat diei quo propter imbrem continuam impossibile videbatur vt se itineri accingeret, vellet Deputari examini loci *Lucæ cap*. 22. in nullo horum potuit exorari, sed præcipitato gradu vix nos salutatos dimisit quasi eo die duo ad huc aut tria milliaria esset confecturus: sed aliud ipsum vrgebat, & colloquium abrumpere spei quam de se suis dederat minimè conueniens quo jure quave injuria, volebat.

APPENDIX

Ad hanc

DISPVTATIONEM

DE SACRIFICII
Propitiatorij natura.

QVatuor ſacrificiorū ſpecies ſub veteri teſtamento ipſi Pontificij agnoſcunt. Erant enim alia Latreutica, alia Impetratoria, alia Euchariſtica, alia denique Propitiatoria. Ita Becanus Ieſuita *Analog. vet. & novi Teſtam.cap.*13.*parag*.9.

De ſacrificijs propitiatorijs quæritur, An ad illorum eſſentiā pertinuerit A*imatekchuſia* ſiue ſanguinis effuſio adeo vt nullum extiterit verum ſacrificium propitiatorium incruentum? Affirmatiuam tuemur indubitatis argumentis.

1. Paulus id diſertè aſſerit loco in diſputatione citato: Verba ejus hæc ſunt, *kai ſchedon en hæmati panta catariſetai kata ton nomon kai choris hæmatekchuſias ou ginetai apheſis*. Hîc Paulus duo diſtinguit vt palam eſt K*atariſmon kai* A*pheſin*. K*atariſmos* dicitur etiam de rebus inanimatis, cujuſmodi ſunt vaſa, ædes ſuppellectilia, veſtes. Hujuſmodi K*atariſmos* fermè omnis fiebat in ſanguine vt patet ex inductione vaſorum Tabernaculi quæ extat verſu inmediatè præcedenti. Sed A*pheſis* proprie, propitiationem hominis peccatoris ſignificat, & de hac generale ſtatuit axioma Paulus, non fieri juxta legem propitiationem pro peccato ſiue peccati remiſſionem abſque ſanguinis effuſione.

2. Scopus

2. Scopus Apostoli idem demonstrat; vult enim ostendere necessarium fuisse vt Christus moreretur, & sanguinis sui effusione nobis propitiationem peccatorū consequeretur hac maxime ratione quod citra sanguinis effusionem non fit etiam sub ipsa lege aut propitiatio, aut peccati remissio. Quod si quædam extitit sub lege peccati propitiatio legalis absque sanguinis effusione, hinc sequeretur aut minùs necessariam fuisse effusionem sanguinis Christi in cruce, aut saltem argumentum Apostoli debile & inutile fuisse, quorum vtrumque est perabsurdum.

3. Idem exigit natura & Scopus sacrificij cujuslibet propitiatorij sub lege. Nam omne sacrificium propitiatorium debuit esse typus & figura sacrificij illius verè Propitiatorij quod Christus peregit in Cruce: hinc est quod *Aphesin*, & *Ilasmon*, remissionem & propitiationem scriptura sacra constanter deputat sanguini Christi effuso in arâ Crucis pro peccatis nostris, vt *Matth.* 26. *Rom.* . *Ephes.* 1. *& alibi passim.* Atqui nullum sacrificium propitiatorium incruentum potuit veram propitiationem sacrificio Crucis cruento peragendam adumbrare & præsignificare. Nam qua ratione prototypo conuenisset typus, & quæ fuisset conuenientia inter signum & significatum, cum formalis ratio significati cōsistat in *Aimatekchusia* illa siue formali sāguinis effusione?

4. Lex generalis & essentialis cujuslibet sacrificij propitiatorij id *Diarrheden* statuit. Verba legis hæc sunt *Leuit.* 17. *cap.* juxta veritatem Hebraicam *Anima Carnis in sanguine est, & ego dedi eum vobis super altare ad expiandum super animas vestras quia sanguis ipse animam expiabit.* Hic non solùm lex generalis statuitur de effusione sanguinis in omni sacrificio propitiatorio, sed

etiam ratio legis hæc assignatur quòd sacrificium propitiatorium sit rei oblatæ substitutio in locum animæ quæ peccauit alias obnoxiæ morti juxta legem, *Anima quæ peccauerit morietur.* In locum autem animæ necesse est animam etiam substitui: Hîc enim debet vigere lex Talionis, Oculus pro oculo, Dens pro dente, Anima pro Anima, & per consequens necesse est victimam animatam offerri pro anima peccatrice, & sanguinem effundi, quia *sanguis anima est.*

5. Id sic verum est, vt non solùm veteres, sed etiam Pontificiorum doctiores in eo conueniant. Majorem autem mereri videntur fidem in Ecclesia Rom. Bellarminus Cardinalis, Becanus Iesuita, Thomas, Chartusianus; alij quam vnicus Minorita, qui vt per Posticum elaberetur, & ad extremas angustias redactus ausus est id negare.

Galatinus Pontificius scriptor *lib.* 8. *de Arcan. verit. Cathol. cap.* 20. diserte sententiam nostram confirmat ex Rabbinorum doctrina: Probaturus enim *nec peccatorum veniam, nec satisfactionem, nec per consequens animarum saluationem nisi per sanguinis effusionem fieri debuisse*, adfert librum id est, dierum in capite quod incipit septem dies ante diem propitiationis, *vbi* (inquit) *sic ad verbum legitur, Non est venia vel peccati remißio nisi per sanguinem, sicut scriptum est Leuit.* 17. *id est,*
nam sanguis ipse pro anima satisfaciet, vel parcere faciet.

Thomas Scholasticorum Princeps *lect.* 4. *in Cap.* 9. *Heb.* sic habet. *Ad mundationem a macula peccati, necessaria est sanguinis effusio, quæ requirebatur ad sacrificium, & ideo dicit quod sine sanguinis effusione non fit peccatorum remißio per quod figurabatur quod remißio peccati erat fienda per sanguinem Christi.* Quibus posterioribus verbis ostendit sic juxta ipsius mentem requisitam fuisse

sanguinis effusionem ad sacrificia legalia, vt necessariò in ipsis quoque debuerit fieri.

Dionysius Chartusianus *in cap.* 9. *Heb.* sic loquitur. *Et sine sanguinis effusione*] *facta in aliquo sacrificio: Non fit remissio*] *id est non fiebat expiatio culpæ nisi necessitas impediret oblationem: Tunc enim sufficiebat bonum propositum. Hoc fuit figura quod per effusionem sanguinis Christi fit remissio peccatorum.*

Bellarminus *lib.* 1. *de Missa cap.* 25, omnem lapidem mouet vt istius argumenti vim eludat, sed tamen non potuit animaduertere in veteri testamento Sacrificium aliquod propitiatorium incruentum. Verba ejus sic habent. *Ad illud, sine sanguinis effusione, respondeo Apostolum loqui de sacrificijs legis veteris in qua nullum erat sacrificium pro peccato sine sanguinis effusione:* Sed hodierni Minoritæ cernunt acutius.

Becanus similiter in *Manuali Controuers. lib.* 1. *cap.* 10. *parag.* 47. *Verba* (inquit) *Apostolici sic sunt intelligenda: non fit remissio peccatorum in veteri lege sine effusione sanguinis. Loquitur enim de Iudæis non de Christianis, Omnia pene* (*inquit*) *in sanguine secundum legem mundantur. & sine sanguinis effusione non fit remissio, Sensus est secundùm legem Mosaicam nullum erat Sacrificium pro peccato sine effusione sanguinis hircorum aut aliorum animalium.* Hæc Becanus, nec magis prosperè in sententiæ quam tuemur gratiam potuisset loqui etiam si Solis radio scripsisset.

Duo tamen sunt nobis opposita ab antagonista nostro. Primum est quod Paulus statuens *penè omnia* mundari sanguine insinuauerit ergo quædam fuisse sub lege mundata absque sanguine. Sed triplex est istius difficultatis solutio. Nonnulli enim statuunt particulam *penè* non ad *omnia* referri, sed ad *mundantur*, quod omnia

illa

illa quę sanguine mundabantur sub lege non *plenè* & perfectâ mundatione sed *pene* & purificatione imperfecta mundarentur. Atque hæc est ipsius Chrisostomi *ad hunc locum* interpretatio, cujus hæc sunt verba. *Quare autem dixit pene? quare illud sic expressit? quoniam non erat perfecta mundatio neque remissio perfecta sed semi perfecta & in minima parte.* Neque ipsi Thomæ displicuit hæc sententia. Alij dicunt sensum Apostoli fuisse hunc, *Pene omnia* mundari sanguine, non quod quædam non mūdarentur sanguine, sed quod cum *pene omnia* sub lege mundarētur, illa omnia quę mundabantur, mundabantur sanguine. Hæc fuit sententia interpretis syriaci qui ideo particulam *pene* omisit: Sic enim habet: *Omne quid* (id est quidlibet) *per sanguinem ipsum purgatur in lege.* Adstipulatur Erasmus in Paraphrasi hujus loci. *Quin in cæteris item ritibus quicunque purificabantur iuxta præscriptum legis Mosaicæ sanguine purificabantur, nec vlla fiebat remissio peccatorum nisi per effusionem sanguinis.* Sed ne videamur textui vim inferre tertia superat solutio longe facilior, videlicet res quidem inanimatas ferme omnes mundatas fuisse sanguine (nam vt habet Chartusianus *aliqua mundabantur per ignem quæ ignem poterant sustinere, & aliqua vasa mundabantur per aquam*) sed remissionem peccati siue propitiationem pro peccato non fuisse factam sine sanguine. Nam ista duo sic distinxit Apostolus vt prior quidem pars particulâ *Schedon* fuerit limitata, posterior verò sit absoluta & vniuersalis.

Aliud quod obijcitur desumptum est ex *Leuit. cap. 5.* vbi pauperi præcipitur oblatio similæ si ita fuerit inops vt ouem, aut capram, vel saltem Turturum, aut Columbarum par non potuerit offerre pro peccato suo. Sed illa similæ oblatio non fuit proprium & verum sacrificium propitiatorium

propitiatorium legi conueniens, (lex enim etiam in hoc peccato exigebat ſanguinis effuſionem ſiue capræ, ſiue ouis, ſiue ſaltem Turturum aut columbarum vt ex eodem loco patet) ſed diſpenſatio ac relaxatio a rigore legis in caſu neceſſitatis quæ vt vulgo loquimur legem nõ habet. Atque id eſt quod inſinuauit Chartuſianus V. S. *Non fit remiſsio*] *id eſt*, (inquit) *non fiebat expiatio culpæ niſi neceſsitas impediret oblationem: Tunc enim ſufficiebat bonum propoſitum.* In illa ergo inopiâ quæ impediebat Legitimam oblationem, id eſt legi conuenientem, ſimila offerebatur non tanquam ſacrificium vere propitiatorium ſed ad teſtandum bonum propoſitum: Et in illa ſimilæ oblatione fiebat quoque propitiatio peccati ex parte Dei, id eſt illius remiſſio, non quod ſatisfactum eſſet legi propitiationum, quæ ſanguinis effuſionem neceſſariò exigebat, ſed quod hac ratione Deus teſtari voluit non ſic pendere remiſſionem peccatorum ex ſanguinis brutorum effuſione quin poſſet citra illam, modò per contemptum non negligeretur, abſoluta ſua Miſericordia peccatoribus delicta condonare. Hæc fuerunt diſputanda non tam in cauſæ noſtræ præſidium quàm in Pauli defenſionem quem mendacij arguere voluit Franciſcanus.

EXAMEN
Loci a
FRANCISCANO
CITATI EX LVCÆ XXII.
pro Sacrificio Missæ.

QVandoquidem bihorij vsuram noluit nobis Frã-ciscanus concedere ad Examen istius loci in quo proram & puppim cõstituebat sacrificij Missatici, simulatâ abeundi necessitate, quæ tamen non fuit tanta, quin adhuc biduum integrum sit in oppido commoratus, operæpretium duximus paucis demonstrare nihil habere Lucam, eo loco, quod possit vlla ratione fauere aduersariorum sententiæ.

Primò igitur mirari subit quod Missæ sacrificium ex scripturis sacris demonstrare hodierni homines annitũtur, cùm his nasutiores in Ecclesia Romana, vltrò agnouerint hoc sacrificium inniti Traditionibus *Agraphois*, vt & multa alia Papismi dogmata, quorum nec vola, nec vestigium extat in Dei verbo; Vnus Petrus de Soto Dominicanus, in *Defensione Catholicæ veritatis c.* 68. veniat pro omnibus: Is ergo Traditionum *Agraphon* necessitatem probaturus, varias indicat Traditiones circa cultum & Sacramenta, & inter alia de Sacramento Eucharistiæ sic loquitur. *Certa reliqua verò duo, Eucharistiam & Pœnitentiam habemus etiam certissimâ Traditione, Sacrificij altaris Oblationem, Lectionem, Psalmorum & Canticorum vsum, invocationem sanctorum, pro defunctis orationes*; vnde patet eos oleum & operam perdere qui sacrificij Missatici probationem in Scripturis volunt indagare.
Deinde in Eucharistiæ institutione pro vt a Luca & alijs

Euangelistis

Euangelistis recensetur, nihil videmus quod sacrificium proprium referat. Nulla illi victima mactatur, nullo poculo libatur, nulla Deo fit oblatio, Nulla hostiæ eleuatio. Habemus illic Mensam ad epulum, epulum sane sacrum, non tamen altare ad sacrificium.

3. Conuenit inter nos & aduersarios *Lucæ* 22. *Mat* 26. *Marc.* 14. Christum instituisse Sacramentum. Cùm autem Sacramentum & sacrificiũ formaliter differant, vt omnes Scholastici agnoscunt, non videmus qua ratione, ijsdem ritibus & verbis duo formaliter differentia sic fuerint instituta, vt non possit dici, illa pars rituum & verborum ad sacrificium pertinet; hæc verò ad Sacramentũ, cùm nihil sit in tota illa institutione quod ad Sacramentum qua tale non pertineat, & per consequens quod possit pertinere ad sacrificium formaliter distinctum a Sacramento, nisi duplicem sensum & respectum formalem ijsdem verbis deputemus, quod non minùs absurdum est quàm si quis vni numero rei duas formas essentiales, aut duabus rebus formaliter distinctis vnicã formam numero, assignaret.

4. Pontificij statuunt omne Sacrificium ad Prædicamentum Actionis esse referendum. Si ergo Christus loco citato sacrificium instituit, debet assignari quædam actio particularis Christi, in qua ratio formalis istius sacrificij consistat, aut dicendum omnes Christi actiones simul sumptas in vltima illa cœna fuisse sacrificales. Neutrum statui potest. Non posterius, quia hac ratione nihil superesset in sacra cœna quod propriè ad Sacramentum formaliter a sacraficio distinctum posset referri: Non etiam prius, quod sic patet. Quatuor sunt actiones Christi ab Euangelistis recitatæ in Eucharistiæ institutione; nempe Acceptio panis & vini, Benedictio super pane & calice, Fractio panis, Distributio panis & calicis: Sed harum nulla infert sacrificium.

Chriſtum panem accipiendo ſacrificaſſe nemo ſanus dixerit, vt nec pani benedicendo. Nam ſi *Eulogia* Chriſti ſacrificium importat, tum hoc ſacrificium conſtituendum erit aut in ipſa benedictione formaliter, & ſic erit tantum ſacrificium ſpirituale laudis & gratiarũ actionis, aut in re cui benedicitur, & ſic dicendum Chriſtum panem ſacrificaſſe, non vero corpus ſuum, quod pani non corpori ſuo benedixerit. Quid, quod Chriſtus ſimiliter benedixit pani in panum multiplicatione *Ioh.* 6. vbi tamen non ſacrificauit? Addo Chriſtum gratias agendo benedixiſſe pani, nam pro eo quod Mattheus & Marcus habent *Eulogeſas*, Lucas in originali habet *Eucharisteſas*; Si ergo illa benedictio importat ſacrificium, oportet fuerit Euchariſticum, non vero propitiatorium quandoquidem illa Benedictio in *Euchariſtia* conſiſtit.

Nec magis poteſt panis fractio induere rationem ſacrificij iſtius quod fingunt aduerſarij. Nam eo reſpectu dicendum id Deo offerri & ſacrificari in cœna quod frangitur; ſed panem frangi in cœna non vero corpus Chriſti, Ergo panem non corpus Chriſti offerri Deo in cœna. Excipient fortaſſe corpus Chriſti frangi in cœna Sacramentaliter, & repræſentatiue, quia franguntur ſpecies panis ſub quibus continetur, ſed contra hanc exceptionem tria adferemus. 1. Species panis, non panem ipſum frangi, nec ſcripturæ, nec rationi cõſentanem eſt. Non ſcripturæ quæ ſæpiſſime panem ipſum frangi aſſerit, vt 1 *Cor.* 10. *& alibi.* Non rationi, quia fractio eſt continui & integri ſolutio; at vbi meræ ſunt ſpecies & nuda accidentia abſque ſubjecto ibi nihil eſt continuum & integrũ quod poſſit ſolui, Ergo vbi ſunt nuda accidentia & meræ ſpecies abſq; ſubjecto ibi nulla poteſt eſſe fractio. Addo fractionem eſſe totius alicujus Phyſici in partes diſtributionem; At vbi nulla eſt ſubſtantia ibi non eſt totum aliquod phyſicum,

Ergo

Ergo vbi nulla est substantia, vt in accidentibus absque subiecto, ibi nulla potest esse fractio. 2. Cum fractio præcesserit consecrationem, quam Pontificij vocant, quæ juxta ipsos panem mutat in corpus Christi, impossibile est corpus Christi fractum fuisse vllo respectu sub speciebus panis: Fractionem autem precessisse consecrationem Pontificiam in prima institutione cœnæ, tota contextus series euidenter demonstrat. Christus enim fregit panem quem acceperat, fractum dedit discipulis, dando dixit; *Hoc est corpus meum*, adeoque cum fregit nondum erat corpus suum, & per consequens ex hypothesibus aduersariorum nullo respectu potest dici corpus Christi fractum in fractione panis. 3. Statuere Christi corpus Sacramentaliter & representatiue frangi in fractione panis est realem præsentiam & sacrificium Missaticum destruere; Nam quo modo Christi corpus in Eucharistia frangitur, eodem modo Christi corpus est in Eucharistia, & in Eucharistia sacrificatur, nam modus essendi, & modus quo sacrificatur in Eucharistia non potest esse alius a modo quo frangitur, præsertim si in fractione consistat vna ex pręcipuis actionibus istius sacrificij. Atqui non vere, realiter & propriè sed tantùm Sacramentaliter, figurate & repræsentatiue, Christi corpus frangitur in Eucharistia, aliàs Christus illic iterum moreretur, & pateretur, Ergo non vere & proprie sed Sacramentaliter, figurate & repræsentatiue Christi corpus est & sacrificatur in Eucharistiâ

Distributio panis & vini siue vt vulgò loquuntur aduersarij specierum consecratarum non magis potest esse de essentia istius sacrificii: Nam certum est distribui communicantibus symbola sacra non sub ratione sacrificij, sed sub ratione Sacramenti; neque id ibunt inficias Pontificij.

5. Vt ex Christi actionibus in institutione cœnæ non

poteſt vllis fidiculis exprimi ſacrificium Miſſaticum, Sic ex Chriſti verbis, nihil tale poteſt extorqueri, quod hac inductione patebit. Panem accepit; pani benedixit; panem tradidit diſcipulis ſuis & tradendo dixit de illo ipſo pane: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur*. Ibi ſolũ Chriſti corpus ſacrificatur pro nobis vbi datur pro nobis. Atqui Chriſti corpus pro nobis datur ſolùm in cruce, Ergo ſolũ in cruce, nõ in cœna Chriſti corpus ſacrificatur pro nobis. Solùm in cruce Chriſti corpus datum fuiſſe pro nobis neque de alia datione hæc verba eſſe intelligenda, ex ipſis viſceribus hujuſce inſtitutionis deſumptæ probãt variæ rationes. 1. Ibi ſolùm Chriſti corpus pro nobis datur vbi ſanguis Chriſti effunditur pro nobis: neque enim alia poteſt eſſe datio corporis Chriſti pro nobis reſpectu panis, quàm effuſio ſanguinis pro nobis reſpectu Calicis in Euchariſtiâ: Atqui ſolùm in cruce ſanguis Chriſti effuſus eſt pro nobis in remiſſionem peccatorum. Ergo. 2. Si non aliter Chriſti corpus datur pro nobis quàm quia frangitur pro nobis, tum non alibi datur pro nobis quàm in cruce: at verum prius: nam pro eo quod dixit Lucas *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur*, dixit Paulus *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur* juxta Græcum textum 1. *Cor.* 11. Chriſti autem corpus pro nobis fractum, alibi quàm in cruce, nemo dixerit qui Chriſtum ſemel duntaxat mortuum, neque ampliùs morti aut paſſionibus obnoxium agnouert. 3. Dationem illam corporis Chriſti pro nobis, de qua Chriſtus egit in inſtitutione cœnæ, intelligendam eſſe de ipſius Crucifixione, Vulgatus interpres a quo non licet recedere iuxta Tridentina placita *Seſſ.* 4. ſatis agnouit, qui quod Græci Codices habent in præſenti 1. *Cor.* 11. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*, reddidit in futuro, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Sane traditio corporis Chriſti pro nobis

apud

apud Paulum eadem est cum datione corporis Christi pro nobis apud Lucam, Traditio autem corporis Christi apud Paulum intelligenda est de ipsius crucifixione tum adhuc futurâ cum loquebatur in cœna; Ergo & ipsius datio apud Lucam non debet admittere aliam interptetationē.

De Calice dixit, *Hic est Calix noui Testamenti in sanguine meo qui pro vobis effunditur.* An habent hæc verba quicquam quod sacrificium Messaticum sapiat? Si naturā rei spectes, quæ erat in Calice, erat Genimen vitis; si illius significationem Mysticam, sanguis Christi. Iam autem si significatus tantùm sanguis Christi traditur in Calice, Christus propriè & realiter nō potest sacrificari in cœna. At verum prius, Ergo & posterius. Præterea, illa effusio sanguinis Christi pro nobis, quæ proculdubio eadem est cum ea de qua *Matt.* 26. *Hic est sanguis meus noui Testamenti qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* (quam sacrificalē esse si fas sit ita loqui, nulli dubitamus:) aut facta est in cœna, aut facta est in cruce. Si in cœna, tum oportebit & cœnam esse sacrificium cruentum, in quo fit effusio sanguinis contra quàm statuūt aduersarij, & euerti concomitantiæ dogma quod statuit vinum in Christi corpus mutari non in Christi sanguinem extra venas effusum, & a reliquo corpore diuulsum ac separatum. Si in cruce agnoscimus vltrò sacrificiū crucis, & in illo acquiescimus Sed quid hæc vrgemus? Non solùm vulgatus interpres sed & canon Missæ hæc verba Christi intelligunt de effusione sanguinis paulò post futura in cruce quandoquidem illa verba reddunt in futuro, *Hic est Calix nouum Testamentum in sanguine meo qui pro vobis fundetur.*

Denique Christus symbola sacra tradens Discipulis suis, dixit, *Hoc facite in mei commemorationem.* Quid hoc ad commentitium illud sacrificium? 1. Hoc præceptum non ad solos pertinet Apostolos quâ Pastores, qui tenentur

nomine

nomine Christi in Ecclesiæ facere id ipsũ quod tum fecit Christus, sed ad omnes quoq; fideles, vt oues quæ tenẽtur facere in memoriam Christi quod tum fecerũt Apostoli, aliàs nullum extaret mandatum fidelibus datum de Eucharistiâ percipiendâ: Ad omnes autem fideles, hoc preceptũ etiam spectare imo maximè spectare docet disertè Apostolus 1. *Cor.* 11. qui sic explicat qua ratione totum id faciamus in commemorationem Christi: *Nam* (inquit) *quotiescunq; manducabitis panem hunc, & poculum hoc bibetis annunciabitis mortem Domini vsque dum veniat.* Quod si hæc verba. *Hoc facite* sacrificandi tale sacrficium quale fingitur in Missâ præceptum continent, tum sacrificij illius executio, omnibus fidelibus saltem in suo ordine, etiam commendabitur, adeo vt quotiescunqne sint recepturi Eucharistiam, debeant illam recipere, sub ratione Sacrificij, non sub ratione Sacramenti. 2. Nihil aliud his verbis mandatur Pastoribus quam quod Christus ipse fecit; Sed Christus in cœna seipsum non sacrificauit vt hactenus euictum est. Ergo neque hæc verba continent mandatum de Christo sacrificando. 3. Actio quæ fit in commemorationem sacrificij propitiatorij in cruce peracti, idque *donec* Christus veniat, non potest esse sacrificium propitiatorium in quo ipsius Christi corpus offeratur. Atqui talis est ex his verbis actio quæ fit in Eucharistia. Miri sane homines, Nolunt sacrificium Missaticum esse simpliciter commemorativum, sed pertendunt esse insuper propitiatorium, *Ita Concil. Trident, Sess. 22 Can. 3. & Catechis. Romanus parte 2. cap. 4. No. 78.* Et tamen nihil aliud vrgent pro imaginario hoc sacrificio propitiatorio pręter hæc verba *hoc facite in meimemoriam.* Quod si hoc facere significat, vti volunt, Christum sacrificare, hoc facere in Christi commemorationem erit Christum in Christi commemorationem sacrificare, quo quid absurdius? certè qui sic ratiocinabitur, ad Anticyras erit relegandus. Ex his igitur satis liquet nulla ratione demonstrari posse Luc. 22. contineri institutionem sacrificij illius incruenti verè tamen propitiatorij corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini pro peccatis vivorum & mortuorum: Sed de his satis.

Admonitio ad lectorem. Benevole Lector, nostro Typographo defuerunt Characteres Græci, Hebræique, quare ne mireris si ad sint aliquot spatia interlinearia & alibi vsus fuerit Charactere Italico.

Nemo nos impunè lacesset, quia veritas inuicta.

